



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

Quæst. I. An diuina omnia diuini amoris materialia obiecta formaliter
loquendo sint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)

DISPUTATIO II.

De materialibus diuine volitionis obiectis, modo, & statibus, secundum quos ad ipsa porrigitur.

Materialia diuine volitionis obiecta quædam formaliter solum, & metaphysicè materialia obiecta esse possunt; quia, nimirum, obiecto formali (bonitati nempe Dei) physice & realiter identificantur: cuiusmodi sunt diuina omnia prædicata communia, & personalia; quædam verò, non metaphysicè solum, sed physice etiam quæ scilicet re ipsa, & physice à bonitate Dei differunt: cuiusmodi sunt creata omnia, quæ entia, & bona per participationem cum actiue, tum imitatiue à Deo sunt. De utroque ergo materiali obiecto, cum metaphysicè, tum physice tali examinandum hic est, an, quodque respectu diuine volitionis sit? & de creatis secundum quos sui status diuinam terminant volitionem?

QVÆSTIO I.

An diuina omnia diuini amoris materialia obiecta formaliter loquendo sint?

Dvplex sub hoc dubio quæstio continetur. Prima, an omnia diuina diuinam perfectionem, & bonitatem metaphysicam compleant formaliter? si enim ita illam compleant, dubium non est quin partialiter metaphysicè obiecta formalia, & specificatiua diuine volitionis sint: si verò metaphysicè ex omnibus diuinis Dei bonitas, & perfectio formaliter non confluat, sed sit prædicatum diuinum à reliquis formaliter metaphysicè diuersum, reliqua obiecta materialia formaliter, & metaphysicè, haud dubio, erunt: quare hoc imprimis definitum, ut alia quæstio directè, & in terminis proposita decidatur. Dixi autem formaliter, & metaphysicè. Nam physice, & realiter sumpta Deitate, & bonitate, cum idemmet, quod diuina reliqua indiuisibiliter diuina bonitas sit, sicuti neque eius à diuinis cæteris diuisioni locus est, ita neque prædicti quæstioni est locus.

CERTAMEN I.

Diuina bonitas ex diuinis omnibus formaliter metaphysicè non conflatur: sed est prædicatum à reliquis diuersum.

Noster Ruiz de Montoya d. 3. de volunt. sect. 3. a. §. *Nihilominus*, docet diuina omnia, etiam personalia, diuinam bonitatem, & perfectionem essentialiter metaphysicè, & formaliter integrare, & constituere; quare, & attributa, & personalitates: quam sententiam, est in terminis à nullo ex antiquis expre-

sam fateatur, virtute tamen, & implicite ab eis tractam censet, qui ad primarium obiectum, & specificatum diuine scientiæ relationes, & personas expresse aduocant. Nimirum Okamus in 1. d. 3. quæst. 3. col. penult. ad 3. quem ex sua Nominalium schola nominali sectantur cui etiam adhaerere, qui obiectum visionis beate primarium totam Trinitatem esse docuerunt. Caiet. 2. 2. q. 2. a. 8. §. *quod secundum*, & §. *quod tertium*, cum pluribus, Molina 1. p. q. 12. a. 8. d. 4. conclusa. atque ex nostris, exteris, cæterisque Recentioribus non pauci. Ex obiecto autem specificatio scientiæ, nempe diuina veritate ad obiectum specificatum diuinæ volitionis consequentiam tenere certum est: quare, si illud ex diuinis omnibus etiam personalibus metaphysicè compingitur, & hoc ex illdem etiam conflabitur; & ex obiecto visionis beate ad eius fruitionem, & gaudium beatificum legitime ducitur consequentia.

2. Nihilominus conclusio nostra esto: Diuinam bonitatem, & perfectionem, quam diuine volitionis adequatum specificatum esse docuimus, nec personalitatibus, nec aliis diuinis attributis formaliter, sed metaphysicè constari: pro qua conclusione Doctores plures retulimus controu. de Trinit. d. 6. quæst. 3. certam, ex relatis certam. 2. & quoad personalia prædicata docuere expresse Henric. 2. p. summ. art. 47. q. 4. aliter scientiam, & volitionem diuinam, propter essentiam, solum, ad personalia tanquam ob rationem formalem terminari: consecretur ad ea, quæ docuit quodlibet. quæst. 1. negans personalitatibus infinitam viciniam diuinæ bonitatem, quam soli essentia concedit: est autem transcendentaliter sunt; non tamen speciem ipsi bonitatem, sicuti neque entitatem concedit, sed essentia bonitatem bona, sicuti, & entitate vera entia, adiectiua mirum, formaliter metaphysicè adiectiua esse solummodo concedit, ut citat. d. 6. præfatione explicabimus item Scotus cum suis in 1. d. 1. quæst. 1. art. 2. §. *ad naturam*, aliter Spiritum Sanctum per Deitatis prædicti dilectionem procedere; quæ tamen pro signo potest ad personalia, & reliqua extendatur; cui sententia cum aliis Doctoribus subscripsimus controu. de Trinitate, d. 5. de obiectis per se diuinarum processionum. Numerandi item sunt illi, cum quibus docuimus eadem, verbum per se quarto modo, neque è sui, neque è Spiritus Sancti cognitione procedere: Ac demum illi omnes (sunt autem ex prædictis, & iunioribus plures) cum quibus asseruimus controu. 2. obiectum formale specificatum adæquate diuinæ scientiæ solo prædicato diuinæ veritatis contineri.

3. Probatur inde primo conclusio: quia obiectum formale specificatum adæquatum formaliter, & metaphysicè diuinæ scientiæ est diuina veritas prædicta, siue diuina entitas, & essentia solidè, ac non solum apperenter, talis; quin reliqua diuina prædicata, siue personalia, siue attributalia, adhuc partialiter, & tanquam ipsam integritatem ingrediuntur: ergo, & diuina bonitas prædicta erit obiectum formale specificatum adæquatum diuinæ volitionis, quin reliqua prædicata diuina, siue personalia, siue attributalia, adhuc partialiter, & tanquam Bonitatem diuinam, seu cuiusmodi specificatum integritatem ingrediuntur: consequentia à paritate rationis euidens per ipsos aduersarios eorum ex opposito antecedenti oppositum contra nos patet euinci. Antecedens autem nostrum ad nauicam probatum à nobis pluries contra ipsos est controu. de Trinitate citatis locis, & cursim aliis, cum ibi, tum controu. de Incarnat. & controu. 2. d. 2. & 3. atque item de eorum supernaturali tom. 2. contr. de Beatitudine; quare etiam hic, & inutiliter probaretur.

4. Probatur secundo à priori, ex dictis controu. de Trinitate d. 6. q. 1. & q. 3. quia quicquid de se formaliter, & metaphysicè bonum neutre & substantiue, seu bonitas non est, per se formaliter, & metaphysicè amabilem seu ratio formalis, ob quam ametur non est, sequens bonitas, idem atque obiectiua amabilitas, & ratio, ob quam ametur aliquid omnino est: sed specificatum obiectum amoris essentialiter debet esse formaliter, & metaphysicè amabile, seu ratio, ob quam aliquid amatur: ergo quicquid de se formaliter, & metaphysicè bonum substantiue, seu bonitas non est, obiectum formale

male specificatum amoris nullatenus est. Atqui nullum prædicatum diuinum præter speciale prædicatum bonitatis à personalibus; & attributibus aliis diuer- sum bonum neutre substantiæ, siue bonitas, adhuc par- tialiter, & integranter est: ergo neque formale obiectum, & specificatum diuini Amoris, adhuc partialiter, & integranter est: consequentia est inretragabilis, etiam si funder statuat antecedens: ex dictis autem controu. 6. de Trinit. q. 1. & 3. citatis in hunc modum facile stantur.

5. Bonitas, & perfectio seu bonum & perfectum neutre, & substantiæ formaliter & metaphysice cum entitate, seu ente neutre, & substantiæ formaliter & metaphysice ad conuertentiam dicitur: quia, ut bene Sanctus Thomas, & Aristoteles à nobis citati citata d. 6. de Trinit. quæst. 3. certam. 2. *Prima, & omnium fundamentali bonitas, & ceterarum fundamentum est entitas sue esse: ergo quicquid per se formaliter, & metaphysice entitas eius substantiæ, & neutre non est, neque bonitas, nec bonum substantiæ, & neutre formaliter metaphysice per se est.* Tum sic: sed reliqua prædicata diuina, seu personalia, siue attributalia (præter prædicatum bonitatis diuinæ) per se formaliter metaphysice entitates, siue entia substantiæ, & neutre, adhuc partialiter, & integranter, non sunt: ergo neque per se formaliter metaphysice bonitatis, seu bona neutre, & substantiæ erunt: quod reliqua à bonitate probatum latissime postremum hoc antecedens est d. 6. de Trinit. q. 1. ostendimus enim nullam entitatem, seu entis substantiæ, & neutre, adhuc partialis, reliquis prædicatis personalibus, ac subinde attributibus, adhuc partialiter, formaliter & metaphysice competere, sed omnem entitatem diuinam rationem metaphysicam in natura, & essentia diuina formaliter metaphysice claudi.

6. De reliquis vero attributibus non solum consequentia ex personalibus iure, sed in terminis id ipsum expressè probauimus contr. 1. & de bonitate formaliter metaphysice nullo modo per se formaliter & metaphysice illis competere eadem d. 6. ostendimus, sed adiectiue, & entia, & bona ex identica eorum coniunctione cum bonitate formaliter metaphysice esse, & denominari: quare neque entitatem, & bonitatem diuinam attributa personalitatis transgredens, sed solummodo metaphysice veluti formas metaphysicas extrinsecas illa afficere, & denominare: quare bona, & entia in concreto adiectiue metaphysice esse, transgredens reliqua diuina ab essentia, prædicatum erit. Bonitas autem, & perfectio diuina, cum sit in genere entis, siue in essendo absolutissima, & consummata existentia, cuius naturalis magnitudinis nulla desit particula, seu quidquam extra non est, atque in nullo deficiunt, nec habent in aliquo genere excessum; (tot enim modis bona, & perfecta formaliter, siue bonitatem & perfectionem definit Aristot. 5. met. text. 21.) imbibit entis substantiæ, & neutre accepti rationem habet.

7. Porro Ruiz suam sententiam probare contendit scd. 3. num. 17. ex dictis Aristotelis verbis, & aliis eiusdem capitis. Etiam secundum quod habent finem, perfectio dicitur; quæ sane de perfectis, & bonis moraliter Aristoteles dixit: non autem de bonis, & perfectis naturalibus quæ talibus: de quibus verba prius recitata: Proximis siquidem immediate huic de bonitate, & perfectione morali: item, quibus finis studiosus (honestus) est, perfecta dicuntur; sententia verbis illis, etenim, &c. rationem reddit. De qua etiam morali bonitate, perfectioneque aiebat Aristoteles. *Alia autem, ut finis, &c. bonum aliorum, id enim cuius gratia optimum, (aliorum respectu) & finis aliorum vult esse: quæ illustrat Sanctus Thomas 1. p. quæst. 5. a. 4. Huius etiam verba, ex eiusdem quæst. art. 1. ad 1. pro se recitat Ruiz num. 18. quæ sic habent. Bonum dicitur rationem perfecti, quia est appetibile (scilicet per se) & per consequens dicitur rationem finis: unde id quod est ultimum perfectum dicitur bonum simpliciter.*

8. Verum nihil contra conclusionem nostram, & pro aduersa nostri Ruiz deduci ex his locis constat: in sola quippe essentia, sicut essendi soliditas, nec solum apparet, (in qua veritas metaphysice constat) ita & integritas, totalitasque, & completio essendi diuina (in qua

stat bonitas) & perfectio reperitur: atque identitatis iure reliquis diuinis formaliter metaphysice communicatur: indeque personalia, & attributalia reliqua amabilia, summeque amabilia, perfecta, & bona adiectiue sunt; non quidem è formali, & metaphysico cuiusque conceptu, tanquam formali obiecto, sed solum materiali: quodque essentia, & bonitatis diuinæ, quæ extra illorum conceptum prorsus est, cuique eorum adiuncta, ratione ametur: id quod Patrum testimonia ab eodem posita Doctore eadem scd. & inde ducta argumenta solummodo probant, ut videbimus certam. 2. num. 2. 3. & 4. subtiliora, & contra nos verissimiliora obiecinus citata d. 6. de Trinit. q. 3. certam. 4. ubi ea diluimus: quibus proinde repetendis hic abstinemus.

CERTAMEN II.

Diuina reliqua obiecta diuine voluntatis materialia sunt.

1. Conclusionem hanc probant Patrum testimonia plurima, quæ recitat, ac citat contra præcedentem, ut diximus, conclusionem Ruiz scd. 3. num. 12. qui iuxta lectionem Septuaginta versus illius Proverb. 8. cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore: quem ita vertunt, ego eram, cui adgaudebat quotidie, seu iucundabar in facie eius, Patris erga secundam personam amorem probant: sunt autem Alex. Alexandrin. epist. ad Alexand. Constant. libro 1. Actor. ante Concil. Nice. Iustin. Dialog. cum Tripho. vers. med. Athan. orat. 2. Cont. Arian. vers. med. dicens: *Deus ipse eius imaginis genitor est: quam contuendo exilaratur, ut ipse filius dicit: ego eram in quo gaudebat, & post medium, quomodo, si filius perfectus non erat, Pater in eo sibi gratulabatur? Aut, si nunc tandem melioratus est, quomodo antea potuit oblectari coram Patre? orat. 3. contra eisdem ex eodem vers. & scd. Ego eram cui aggratulabatur, quotidie autem exilarabar in conspectu eius: statim ferè subdit, in quo porro latatur Pater, nisi cum inuenerit seipsum in sui ipsius imagine, quod est verbum eius: sub inferius: quomodo filius exilarari posset, nisi eo modo, quo se inuenerit in Patre? orat. 4. cont. eisd. fine. Ex sequenti autem textu, ludens coram eo omni tempore ludens in orbe terrarum; & delecta mea esse cum filiis hominum, deducit: ut exilaritate in filio, qui est imago causam trahat exilaratio in hominibus conditis ad imaginem Dei.*

2. Hæc sanè omnia apertè ex Patribus hisce probant personas ipsas; etiam quæ tales, atque, ut Patrem, & filium, inuicem amari: sed ex postremo loco contendit Ruiz personam filij quæ personam, & imaginem Patris esse rationem formalem, ob quam à Patre ametur: siquidem ratio formalis, ob quam homines à Deo amantur ex Athanasio, ac proinde ut specificatum, & rationem formalem, nec materiale solum obiectum, diuini amoris est: quia ob purè materiale obiectum nil vterius amatur: ceterum ex hoc ipso loco, & dictis controu. de Trinit. d. 3. pro generatione filij præ Spiritu Sancto facile respondetur: ac etiam d. de propriis, & appropriatis personarum q. 2. ubi de ratione imaginis filij propria egimus, satisfit: siquidem, ut ibi diximus filij, & imaginis naturalis ratio in similitudine summa naturæ Paternæ consistit: hæc autem in communicatione naturæ paternæ cum fecunditate adintra, quæ tota naturæ est: nihil omnino conferente filij, aut patris personalitate præter distinctionem à persona, seu termino producendo, quæ energia, & virtus productiua ad intra (quæ tota naturæ est) ab impedimento identitatis cum persona producenda, quatenus cum producente ab illa distincta identificatur, expeditur: cum autem dicat amari à Patre, ut imaginem, atque in natura imago sit, non in personalitate, quæ est filius à Patre dissimilis, & diuersus: manifestum est rationem cur ametur à Patre filius, naturam esse, non personalitatem.

3. Confirmatur: quia testimoniis recitatis ex orat. 4.

B 3 contra

contra Arrian. ait. Patrem in filio, filiumque in patre eam-
tenus gaudere quatenus alter in altero se ipsum inui-
cem intuetur, quatenus alter alteri similis inuicem est,
non autem similes in personalitatibus sunt, sed in natu-
ra: ergo ratione naturæ, non autem personalitatum, se
alter in altero vicissim intuetur, ac se inuicem amant:
confirmatur secundo ex ipso testimonio, quod nobis op-
ponitur: ex eo enim, quod in filio, tanquam in imagi-
ne, Pater exhibetur exhibitari ipsum in hominibus ait,
qui imagines Dei sunt: sunt autem homines imagines
Dei in natura tribus personis communi, non personali-
bus proprietatibus, ut ex illo Genes. 1. *faciamus homi-
nem ad imaginem, & similitudinem nostram*; (hoc est
omnibus tribus communem) aperte euincitur: quod
autem ex terminatione primaria amoris diuini ad ima-
ginem primariam, quæ in filio diuino est, quam ad se-
cundariam arguebatur, momenti alicuius non est.

4. Non enim ideo dicitur: quia ratio amandi creatu-
ras, etiam secundum personalia, & propria præcisè fi-
lius sit: sed quia ratio imaginis & similitudinis in natu-
ra diuina, ob quam, & filius, & homines amantur; pri-
mario, & principaliter, & perfectissime in filio est per
similitudinem identitatis physice in natura cum Patre, in
hominibus per aliqualem secundariam participationem,
& naturalem imitationem naturæ diuinæ per physice ab
illa diuersam naturam suam humanam: quare, & filius
primario amabilis ob naturam diuinam, quam reuera
identitè habet, esse debet: homines verò secundario: &
si utique secundum id, quo à natura differunt diuina
solum materialiter amabiles à Deo sunt. Nam in obie-
ctis purè materialibus locus primario, & secundario ob-
iecto est, ut mille obuiis exemplis constat.

5. Sed ad præsentem conclusionem verum illud
Proverb. 8. sic legens, *Ego eram apud quam gaudebat*
(Pater) *quotidie verò latabar in vultu eius*, de æterna
generatione intellexit Euseb. Cæsari. 5. demonstr. Euang.
sub finem, & Tertullian. contra Praxeam c. 6. *ego eram*
cum illo compingens, ego eram, ad quam gaudebat, quo-
tidie autem oblectabar in persona ipsius; quibus mutuam
amorem personarum Patris, & filij expellit, & Patris
quidem erga filium amor sapissimè in Euangelio expri-
mitur: Matth. 3. *Hic est filius meus dilectus*: & rursus
cap. 17. atque 2. Pet. cap. 1. & Luca 9. Apud quem c. 7.
& Marci 1. *Tu es filius meus dilectus*. Ioan. 3. *Pater dile-*
xit Filium, cap. 5. *Pater enim diligit Filium suum*, &
cap. 10. *Propterea me diligit Pater*, c. 15. *Sicut dilexit me*
Pater, & *quia dilexit me ante constitutionem*, Filij verò
in Patre amando vicissitudo. Ioan. 14. *quia diligo Patrem*.
Accedunt testimonia Patrum assentientium filium volunta-
te, ac beneplacito Patris genitum esse, quæ oppositi-
mus disput. 3. de Trinit. contra dogmaticam filij pro-
cessionem per intellectum, ac non per voluntatem for-
maliter: ac de amore, & voluntate complacentiæ Patris
in filio genito, non autem ipsius generationem origine
præcedente explicuimus. Ad Spiritum verò Sanctum,
immo ad reliqua prædicata, seu attributa diuinum amo-
rem terminari ex eis etiam locis proximum est: cum
eis omnibus æque identitè absolutissima entitas, seu bo-
nitas, & perfectio diuina (quæ tota ratio amandi Deo
est) atque Patri, & Filio addit.

CERTAMEN III.

Oppositionibus occurritur.

1. Quæ personalia & attributalia non materialia pu-
tè obiecta diuinæ volitionis esse poterant con-
tendere & præsentis questionis conclusionem utramque
impugnare, dimittit à nobis sine fine disput. 1. atque in
hac quæst. certam. 1. & cert. 2. à num. 2. Obiectiones tamen
contra conclusionem primam. Deus, quia est bonus vult
se: siquidem ratione suæ bonitatis, tanquam obiecti
formalis, & specificatiui suæ volitionis: cum autem
amor erga seipsum optimus amor & honestissimus sit, in
eo amore bonitas, & honestas moralis diuina erit, quæ

& bonitatem diuinam cum aliis bonitatis entitatibus, &
perfectio physice, ac metaphysice, ac insuper vili-
tatis, & proficitatis creaturis omnia integrum boni-
tatem Dei, seu amoris diuini specificatum constituit.
Deumque bonum propositio vera in conclusionem nostram
primam erit. *Deus est bonus, quia amat se*; quare, & se
amabit, quia bonus est, & bonus erit, quia se amat,
circulo nimirum vitioso, & repugnante; ac rursus speci-
ficatum diuini amoris adæquatam, quod ex tribus huius
bonitatibus constat, ipsum amorem præcedet, & sub-
sequetur: quod non minus repugnat. Repugnantiam pri-
mam duarum illarum propositionum obiecit sibi quon-
dam Richardus in 1. d. 45. a. 1. quæst. 3. ex quo, & sibi
etiam opposuit Ruiz ubi proxime sect. 4.

2. Respondet autem utrique propositioni
veritatem abique ulla repugnantia consistere: quia cau-
sales ille in diuerso genere causæ verificantur. Amor si-
quidem formalis affectiva bonitas, & Deum bonitatem
moralis bonum constituit, quæ non autem Physica, &
transcendentalis, à qua solummodo, non à moralis,
amor ipse specificatur in genere alio causæ obiectivæ,
ratione cuius dependentiæ, seu prioritatis intentiona-
lis verè solum, vera & alia propositio est: *Deus se amat*
quia bonus est; quia denotatur prioritas obiectivæ, quam
transcendentalis Dei bonitas respectu diuini amoris ha-
bet. Odi semper solutiones implexæ duplicatas, quæ li-
gant potius, quam soluant, difficultates. Diuersum ge-
nus causæ existentiam actualem requirunt ad causan-
dum (ut in præcæti bonitas obiectiva Dei, & amor
diuinus) mutue causalitatis repugnantiam non citare:
ut vidimus in Physicis controu. de causis: quod item bo-
nitas moralis, & affectiva tota Dei bonitas obiectiva
non sit, refert nihil ad difficultatis solutionem; si ta-
men pars obiecti specificatiui necessarii Amoris diuini
esse admittatur: neque enim minus repugnat aliquid
seipsum partialiter, quam totaliter præcedere: sola ergo
solutio solida in eo stare debet: quod bonitas, & honestas
moralis amoris, & affectus diuini ipsum, ne inde
quare quidem specificet, sed sola physica, & entitativa
bonitas diuina illum specificet adæquate, ad quam tan-
dem ij DD. confutere: quare otiose reliqua mouemus,
ut difficultatem soluerent, si hanc in suis principiis pos-
sint tueri: etenim, cum afferant diuina omnia prædica-
ta bonitatem formaliter metaphysice in se habere, atque
specificatum diuini Amoris æque necessarium, ut ex
Ruiz certam. 1. retulimus, tum diuinus Amor, tum mora-
lis honestas diuina amoris illius (immo quæ Ruiz recte
amor ipse est) diuinum prædicatum sit, sui ipsius in-
adæquatam specificatum, repugnantia aperta in eorum
sententia erit.

3. Verum in nostris principiis facile ea solutio con-
stat: sed animaduertere oportet oppositas causalitatis
mutue repugnantias in amore Dei erga seipsum (in
quo tantopere præfati Doctores vexantur) nullum lo-
cum habere: quia Amor Dei erga seipsum, etsi nobili-
simus sit, non tamen viliam Deo bonitatem moralem,
sive honestatem affert, quæ essentia sua dicit amoris
affectus honesti libertatem amoris Dei erga se ipsum
naturæ suæ necessarii prorsus repugnantem; quare, &
moralis bonitas, seu honestas amoris sui in Deo repug-
nabit: physicam verò, & metaphysicam bonitatem ce-
titatiuum de se formaliter metaphysice non habet, ut
diximus, sicuti, nec reliqua diuina à bonitate, & esse-
ntia diuina: quare ratione amoris sui falsa illa proposi-
tio, *quia Deus se amat bonus est*; siquidem nec phy-
sicæ, nec metaphysicæ, nec moraliter, & honeste amor
sui in Deo bonitas formaliter est: quare nec aliquo
bonitatis genere bonum constituit; cessatque mutue
causalitatis circulus, & rationum causalium repugna-
tia; sed quoniam Deus moralem abique dubio honesta-
tem in liberis erga obiecta alia honesta affectibus habet,
videndum explicandumque est, an, & quomodo moralis
hæc diuina bonitas ad diuini amoris specificatum per-
tineat vel non pertineat? si autem pertineat, mutuum
causalitatum repugnantias, & circularium rationum in-
aptas oppositas incurramus.

4. In nostris autem principiis ostendi facile possit
honestatem, sive bonitatem moralem amoris diuini li-
beris

liberi, quatenus ad obiecta alia honesta se extendit, specificatum diuini amoris, seu rationem bonitatis ob quam amor à Deo intentionaliter elicitur, neque esse, neque ex parte adhuc constituitur: etenim in duplici statu, sine signo moralis Dei honestas considerari potest. Primum est in actu primo: nempe pro inclinatione, vel potius determinatione, quoad speciem, diuine voluntatis ad honestum præ turpi obiecto profectum: & id quidem duplici ex parte constituitur, nempe voluntate perfectissima Dei, & summa physice, & metaphysice essentia diuina obiectiua bonitate: quæ, si necessitate ad sui amorem diuinum raperet voluntatem, nec ad affectum honestissimum, summæque, & infinite bonum moraliter intentionaliter moueret: quare, obiectiue loquendo, omnem moralem honestatem continet, atque malitiæ omni obiectiue aduersatur: unde amor ab ea bonitate specificatus odium formale malitiæ omnis est, atque ab omni obiecto inhonesto formalis auersio, vt supra dicebamus: æque quidem necessaria, atque est diuinæ illius, & summa bonitatis formalis profectio: quare etiam ex libertatis defectu odium hoc, est obiectiue honestum bonumque moraliter sit, non tamen absolute bonum moraliter est: sicut eodem defectu libertatis bona moraliter absolute non est diuinæ bonitatis profectio: cum autem honesta obiecta moralium virtutum, misericordiae, iustitiæ, &c. pro posteriori occurrant, liberque diuinus amor ad ea extenditur, hanc, vel illam exercite, absque illa sui variatione profectendo: honestas quidem moralis exercite, & in actu secundo est: sed quæ sui amorem minime specificet, est propter ipsas amentur: quia ex bonitate illa physica, & metaphysica summa, atque infinita Deitatis, totum amorem indiuisibilem diuinum specificatum obiectiue, & constitutum supponit: quare nil istic habet, quod obiectiue, quoad eius constitutionem, & specificationem, agat.

5. Oppones secundo contra secundam conclusionem: si enim amoris diuini omnia obiecta materialia sunt, & quæ propter diuinam bonitatem hactenus explicatam amentur: ergo, & ita etiam à Deo diuinus amabitur amor, & tunc ob eandem rationem reflexus: hic amor amabitur amore reflexiori: sique dabitur reflexiorum, & reflexiorum amorum processus infinitus repugnans: quare diuina omnia vniuersim amari, atque amoris diuini obiecta materialia esse, negare fatius erit. Ceterum diuinum amorem, immò, & nostrum à nobis amari docuit expressè Augustinus de Ciuitate Dei, cap. 8. his verbis. De amore, quo amamus, virum & ipse amatur, non dictum est. Amatur tamen: & hinc probamus quod in omnibus, quæ rectius amantur, ipse magis ametur. Neque enim vir bonus merito dicitur, qui scit, quod bonum est, sed qui diligit. Cur ergo, & in nobis ipse nos & ipsum amorem nos amare sentimus, quo amamus quicquid boni est: etenim amor, quo amatur quod amandum non est: & ipsum amorem odit in se, qui illum diligit, quo id amatur, quod amandum est. Et de amore Dei refert Ruiz sec. 4. à num. 4. testimonia quædam Dionysii 4. de diuinis nominibus & Hieroth. ibid. ab eodem recitati: & Maximi Centur. 3. cap. 38. apud Ciparissium decade 8. cap. 5. sub init. quæ de circulari diuini amoris motu à bono summo progredientis, & in ipsum reuertentis sunt: non autem de reflexione amoris diuini in seipsum. Negari autem nequit perfectiorem, magisque voluntariam esse tendentiam in bonum, quæ à ipse amor boni ametur sicut perfectior, certiorque, & euidentior subiectiue est scientia illius, qui non scit solum, sed & scire se reflexè nouit: quare nec diuino amoris ea perfectio deneganda est: sicut neque Scientiæ diuinæ, vt vidimus controu. 1. præterquam quod id ipsum ratio à priori data certam. 2. n. 5. sine cuius.

6. Oppositum verò difficultatem de infinita reflexione amoris diuini in simili attingimus controu. 2. d. 2. q. 5. certam. 1. de cognitione Scientiæ Dei, tanquam materialis obiecti per se ipsam & d. 3. quæst. 4. certam. 2. vbi contra plures recitatos certam. 1. num. 2. infinitum scientiarum reflexarum, & reflexarum metaphysicè diuersarum à Deo reicimus, & contra nostrum Ruiz de Montoya relatum eodem certam. numer. 1. statuimus Scientiæ Dei directam alia adhuc metaphysicè diuersa,

quæ supra ipsam formaliter reflectat, minime egere, vt à Deo formaliter cognoscatur: quia ex vna parte scientiæ à suo obiecto materiali, formalis adhuc, distinctio opus non est, vt vidimus primo loco citato ex contr. 2. atque, vt vidimus secundo loco ex eadem controuersia, inhuitas simpliciter, atque ex genere, & conceptu suo per denegationem termini, etiam extrinseci, quæ scientiæ Dei (sicut & diuinis reliquis, quæ diuinis) competit, pluralitati etiam metaphysicæ, formalium scientiarum Dei (sine qua directæ, & reflexæ, adhuc formaliter metaphysicè esse nequit) omnino repugnat. Hac autem omnia in amore diuino concurrunt. Siquidem, & infinitus simpliciter, & ex genere, & conceptu suo per denegationem termini, etiam extrinseci, est, æque, ac scientia, & purè, vt nuper diximus, terminatiuum obiectum: quare amare alio reflexo, adhuc formaliter, & metaphysicè, diuerso, amari à Deo repugnat: unde est in amore creato opus alio reflexo sit, vt ametur: secus in diuino vt primo loco citato ex controu. 2. vidimus. Cessat ergo reflexionis infinitæ difficultas.



QVÆSTIO II.

*An Deus creata obiecta secundum se
sumpta omnia vniuersim amet, &
singulatim, etiam, quæ possibilia.*



VÆSTIONIS titulus explicatio-
ne non eget. Dei amorem ad crea-
ta obiecta absolute existentia vel ex-
titura terminari, suppositione po-
tius, quam disputatione dignum est:
Siquidem scriptura sepe id expresse
Plalm. 20. *Vita in voluntate eius,*
& infra, *In voluntate tua præstitisti decori meo vir-
tutem.*

CERTAMEN I.

*Omnia vniuersim, & singulatim,
creata amat Deus.*

1. Præmissa hæc firmantur Plalm. 113. *Omnia quæ-
cunque voluit fecit.* Sap. 11. *Diligis omnia, quæ
sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, & quomodo
posset aliquid permanere nisi tu voluisses.* Ad Ephel. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*
Ad Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*
Hæc rerum, personarum autem creaturarum amorem Dei
exprimunt sequentia Plalm. 17. *saluum me fecit quo-
niam voluit me.* Hierem. 31. *In charitate perpetua dile-
xite.* Ioan. 14. *Pater meus diligit eum.* cap. 16. *Ipse Pater
amat vos:* & plura alia passim occurrunt: quæ om-
nia, vt patet, de existentibus, vel futuris absolute aperi-
ta sunt: quare de creatorum pro statu absolute existi-
entiæ diuino amore disputationi Theologicæ locum non
relinquunt: maxime, cum pro eo statu nihil contra diui-
num creaturarum, siue personarum amorem à ratione
objici possit.

2. Inde verò dubium aliud insurgit. An scilicet
Deus omnia velit, sicut omnia scit, & omnia potest?
Nam absolute existentia, vel exitura creata omnia non
sunt: cum omnia quæ intra possibilitatem clauduntur,
nunquam ad absolutam existentiam à peruentura, ex-
clusa, neque vsquam excludenda à creaturis sunt, de
quibus nihil, eorumque diuino Amore in scriptura ha-
betur: item peccata, & opera praua non vult Deus,
quæ tamen scit, ex Patrum, & Theologorum omnium
sententia. Ob quæ S. Thom. 1. part. quæst. 19. a. 3. ad 4.
& 2. 6.